

Hierosolymam receptam accepimus, undecentesimo supra millesimum salutis anno: captivitatis ejus quadringentesimo nonagesimo: die, ex quo obſideri a Christianis ducibus cœperat, unde quadragesimo. Gothifredus omnium consensu Rex Hierosolymitanus salutatus est: qui cæteris regni insignibus acceptis, a coronæ usu pertinacissime abstinuit, impium esse prædicans, Christianum hominem ibi aut eam coronam gestare, ubi Christus summus Rex spineam tulisset, Dum hæc Hierosolymis aguntur, trepide nunciatur ingentes hostium copias appropinquare. Quibus, reliquo ad urbem præsidio, Gothifredus non procul ab Aſdonā venientibus occurrit. Cruentum hic prælium commissum, atque in multas horas, fortuna neutro inclinante, pugna distracta est: demum ingenti clade accepta, fusi fugatique sunt hostes, quorum centum milia eo die cæſa auctores sunt quidam; ex captivis compertum est, quingenta armatorum millia ea acie conflixisse.

Dum hæc in Syria geruntur, Veneti ex Smyrna Lycii, Pamphilii, Ciliciique maris oram circumvecti, in Syriam venere, portumque Jopensem a Christianis prius receptum tenuerunt. Sed haud affirmare ausim, Venetos ex Smyrna profectos non prius in Syriam venisse, quam urbs sancta expugnata esset, quum maritimo commeatu Gallos duces ad Hierosolymam sedentes omnino constet adjutos: quod ipsum a quibus præstari potuerit nisi a Venetis, quum omnis ora Syriae adhuc hostium esset, non video. Ex Jope Veneti, reliquo ad custodiā classis valido præsidio, agmine Hierosolymam contendunt: unde reversi Aſcalonem urbem maritimam expugnant, quam nuper Galli frustra oppugnare fuerant adorti. Gallico ibi præsidio imposito, Caiphiam, quæ & Porphyria dicitur, oppidum Ptolemaidi propinquum obſident: fuitque pugnatio illa spe omnium longior. Ne igitur ociosam omnino illic stationem habere viderentur, Tyberiadem interim adorti, deditione ab oppidanis facta, recipiunt: nec ita multo post & Caipham. Sunt qui hæc Gothifredo, non Venetis tribuant. Ego communi consilio gesta existimo, ut ille terribribus copiis, Veneti maritimis rem post Hierosolymam receptam in Syria gesserint. Atque hinc factum, ut Venetarum

1099

*Gothifredus Rex Hierosolymitanus declaratur.*

*Vincit Turcos.*

1100

*Aſcalonis & aliarum Syriae urbium expugnatio.*

SCII